

propositum se gerentem: scientia enim sanandi, non nocendi est medi-  
 cina. quae nisi omni parte sua plene excubat in auxilia laborantium, non  
 praestat quam pollicetur hominibus misericordiam. desinant ergo, qui 6  
 prodesse adflictis aut nolunt aut non possunt, alios quoque deterrere ne-  
 5 gando aegris auxilia, quae per vim medicamentorum frequenter exhiben-  
 tur. etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit.  
 nam primum cibus ratione aptoque tempore datis temptat prodesse lan-  
 guentibus; deinde, si ad hos non responderit curatio, ad medicamento-  
 rum decurrit vim: potentiora enim haec et efficaciora quam cibi. post, ubi  
 10 ne ad haec quidem cedunt difficultates adversae valetudinis, tunc coacta  
 ad sectionem vel ultimo ad ustionem devenit. at Asclepiades, maximus 7  
 auctor medicinae, negavit aegris danda medicamenta: quidam enim hoc  
 mendacio etiam pro argumento utuntur. poteram tamen, si verum id  
 esset, dicere: viderit Asclepiades, quid senserit; forsitan non omnino in  
 15 hanc partem animum intendit. homo fuit, parum feliciter se in hoc ne-  
 gotio gessit. non deterreor persona, cum rem manifeste prodesse videam.  
 nunc vero cum tam impudenter comminiscantur de eo, quid possum ultra  
 dicere nisi genere quodam parricidium ac sacrilegium eos committere, qui  
 haec dicunt? ille enim febricitantibus vitiisque praecipitibus correptis, 8  
 20 quae *ὄξεα πάθη* Graeci dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo  
 vinoque apte interdum dato remediari tutius eos existimavit. ceterum in  
 libro, qui *Parasceuasticon*, id est praeparationum, inscribitur, contendit  
 ultimae sortis esse medicum, qui non ad singula quaeque vitia binas ter-  
 nasque compositiones et expertas et protinus paratas habeat. vides ergo,  
 25 quam non placeat Asclepiadi usus medicamentorum, cui, nisi plura quis  
 ad quodque genus vitii medicamenta composita habeat, non videtur di-  
 gnus professione medicinae. sed ista licentia nomine tantummodo medi- 9  
 corum propter quorundam negligentiam latius processit. raro enim ali-  
 quis, priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat, cum